De rebus Cypriis.

PARS I.

Prooemium.

De Cypro insula post Joannem Meursium[1]) nostra aetate Engelius felicissimo studio, eximia diligentia, insigni doctrina librum edidit, qui inscriptus est: Kypros. Eine Monographie von Wilh. H. Engel. II. Theile, Berlin 1841, cujus primo volumine continetur geographia et historia Cypri, altero autem de historia religionis atque fabulis, imprimis de cultu Veneris exponitur[2]). Quod ego post egregiam ejus operam denuo in res Cyprias inquirere institui, id excusatum iri spero non solum eo, quod Engelius ipse in prooemio p. IX. suspicatur fieri posse, ut ex universa antiquitate etiamnunc conquirantur, quibus hic liber augeatur et emendetur, sed etiam, quod recentiorum aliquot librorum copia mihi facta est, quibus ille non videtur usus esse[3]). Proximo enim saeculo, maxime autem nostra memoria aliquot homines eruditi, imprimis Britanni et Francogalli, antiquitatis studiosi, itineribus susceptis Cyprum obierunt et, quae suis oculis viderant, loca descripserunt. Quorum libri, qui quidem mihi ad manum fuerunt, hi sunt:

1) Description exacte des isles de l'Archipel et de quelques autres adjacentes, traduite du Flamand d'O. Dapper, M. D., à Amsterdam 1703.

2) Voyage de Corneille Le Bruyn au Levant, c'est à dire, dans les principaux endroits de L'Asie Mineure, dans les isles de Chio, Rhodes, Chypre etc. Tome II, à la Haye, 1732.

---

[1]) Joannis Meursii Cyprus, sive de illius insulae rebus et antiquitatibus. Libri II. Amstelodami, 1675.

[2]) De quo judicium fecit Eckermannus in commentariis literariis Halensibus a. 1843, Nr. 48—50., qui nonnullas sententias ab auctore libri propositas impugnavit.

[3]) In geographia Cypri e recentioribus maxime his libris usus est: Richard Pococke's Beschreibung des Morgenlandes und einiger anderer Länder. Aus dem Englischen übers. durch v. Windheim. Erlangen 1754. II. Theil S. 305—340.,

J. Mariti Viaggi per l'isola di Cipro e per la Soria e Palestina (übers. v. Hase, Altenburg 1777),

Topographische Ansichten, gesammelt auf einer Reise in die Levante von Jos. von Hammer, Wien 1811,

K. Mannert's Geographie der Griechen und Römer, VI. Th. I. Bd. S. 422—454, et

D'Anvillii libro de geographia Cypri, qui inest commentariis Academiae inscriptionum Francogallicae Tom. 32, p. 522. sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

3) Reise nach Griechenland und der Türkei, auf Befehl Ludwigs XVI. unternommen von C. S. Sonnini. Aus dem Französischen übersetzt von Ch. Weyland. Berlin 1801.
4) Atlas pour servir aux voyages dans l'Empire Othoman, par Olivier, Membre de l'Institut national. Paris, an IX. (1800).
5) Voyage dans l'Empire Othoman, par G. A. Olivier. III. Tomes. Paris 1807. Tome III. chap. 24.
6) Itinéraire de Paris à Jérusalem et de Jérusalem à Paris, par F. A. de Chateaubriand. Tome II. Paris 1811.
7) Travels in various countries of Europe, Asia and Africa, by Edw. Dan. Clarke. Part the second, section the first. London 1812.
8) Travels of Ali Bey (General Badia) in Marocco, Tripoli, Cyprus, Egypt, Arabia, Syria and Turkey, between the years 1803 and 1807, written by himself, and illustrated by maps and numerous plates. In two volumes. Vol. I. London 1816.
9) Memoirs relating to European and Asiatic Turkey, edit. by Rob. Walpole. London, 1817.
10) Travels in Egypt, Nubia, Holy Land, Mount Libanon and Cyprus, in the year 1814, by Henry Light, Capitain of the Royal Artillerie. London, 1818.
11) Walpole, M. A., travels in various countries of the East. London 1820.
Cui libro insunt:
   a) Journey through some provinces of Asia Minor, the year 1800. Communicated by Lieut. Col. Leake;
   b) Journey from Constantinople through Asia Minor, in the year 1802, from the papers of the late Will. George Browne, Esq.;
   c) Voyage in the Grecian Seas, — Princes Island, — Dardanelles, — Cyprus etc., from the papers of the late Dr. Sibthorp.
12) Narrative of travels in Europa, Asia and Africa by Evliya Efendi, translated from the Turkish by Joseph of Hammer, London 1834.
13) Reisen in Europa und dem Morgenlande von J. Berggren. Aus dem Schwedischen übers. von Dr. F. H. Ungewitter. Drei Theile. Leipzig und Darmstadt, 1834.
14) C. (arsten) Niebuhrs Reisen durch Syrien, Palaestina nach Cypern und durch Klein-Asien und die Türkei. III Bd. Hamburg 1837.
15) Alphonse de Lamartine, souvenirs, impressions, pensées et paysage pendant un voyage en Orient 1832—33, ou notes d'un voyageur. II. Tomes. Ed. III. Stuttgart 1839.
16) Reisen nach Kos, Halikarnassos, Rhodos und der Insel Cypern. Von Ludwig Ross. (Vierter Band der Reisen auf den griechischen Inseln.) Halle 1852.

Res autem in Cypro ab antiquissimis temporibus usque ad recentiorem aetatem gestae copiose expositae sunt a Joanne Paulo Reinhardo, Professore ord. Universitatis Fridericianae Erlangensis, in libro, qui inscribitur: Vollständige Geschichte des Königreichs Cypern. II. Theile. Erlangen und Leipzig 1766—68, qui geographiam breviter tantum attigit.

Jam quum in tali unius terrae descriptione plurimae et diversissimae res in disceptationem vocandae sint, quas vix unus, id quod Engelius ipse sensit, omnes satis bono successu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tractaverit, et descriptio singulorum locorum ex singulis dispersisque notationibus, quas veteres scriptores memoriae prodiderunt, colligenda sit; non exigua rei bene gerendae difficultas objicitur et erroribus facile locus relinquitur. Accedit, quod intervalla singulorum locorum Francogallici itinerum scriptores, quorum rationibus adhuc utendum erat, saepe perperam dimensi sunt, quas sperandum est correctum et inutiles redditum iri accuratioribus, quas Britanni nostra memoria fecerunt, itinerum mensuris. Interea, dum eae in medium prolatae fuerint, D'Anvillii charta geographica videtur sequenda esse.

Caput I.

De Cypri situ, figura, magnitudine.

Cyprus, extrema eaque maxima ex nobilioribus insulis maris interni Asiaticae partis, sita in mari mediterraneo, qua maxime ad orientem vergit, in sinu Pamphylio, ubi litora Ciliciae et Syriae anfractu inciduntur, ad occidentem mari Pamphylio, ad meridiem et orientem versus mari Aegyptio et Phoenicio sive Syriae, ad septentriones versus mari sive Aulone Cilicio adluitur[4]). Ac summum montium ejus jugum a continuis Asiae minoris montibus pari intervallo distat. Inter occasum ortumque in longitudinem porrecta paulo minus quam a quinquagesimo gradu longitudinis usque ad quinquagesimum secundum et dimidium gradum, sive $37\frac{1}{2}$ vel 35 milliaria geographica patet, secundum Pocockium 175 minora milliaria Italica, in latitudinem, si computaveris a Curiade, promontorio meridiano, usque ad Crommyon, promontorium in septentriones spectans, inde a tricesimo quarto gradu cum viginti sex scrupulis usque ad tricesimum quintum gradum cum triginta quinque scrupulis, sive quindecim fere milliaria geographica, secundum Pocockium 62 min. milliaria Ital. Clides autem, extremum promontorium, quod longissime in orientem procurrens in litore Syriae Seleuciam urbem, Oronten fluvium et Cassium montem opposita habet, etiam usque ad tricesimum sextum gradum in latitudinem pertinet. Ac litus ejus in septentriones spectans Ciliciam Tracheam, cui proxima est, objectam habet, ut ejus promontorium Crommyon, recta via ad aquilonem conversum et longe in mare procurrens, ab Anemurio, opposito Ciliciae promontorio, non minus in meridiem excurrente, secundum Strabonem non longius intervallo 350 stadiorum, sive $8\frac{3}{4}$ milliariorum geogr. disjunctum sit. Litus ejus ad septentriones vergens, quod ab Acamante, promontorio occidentis, usque ad Clides, promontorium orientis pertinet, longissimum est, alterum, quod inter occidentem solem et meridiem ab illo usque ad Curiadem promontorium porrigitur, brevissimum, tertium, quod inter meridiem et orientem ab hoc promontorio usque ad Clides procurrit, medium est. Ex iis, quae diximus, patet eam habere figuram triquetram imparibus lateribus, quorum longissimum in septentriones vergat[5]).

---

[4]) Cfr. Strabonis rerum geograph. L. XIV. c. 6.; Plinii Nat. Hist. L. V., c. 31. (35.); Pompon. Mela de situ orbis L. II., c. 7. §. 5.

[5]) Inter geographos veteres eam comparavit Agathemerus in Geographia I. 5., cum extento bovis corio, Eustathius in Dionys. cum pelle ovis, Hyginus Fab. 276. eam sine dubio propter majorem ejus longitudinem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Veteres geographi circuitum et magnitudinem hujus insulae obiter tantum computarunt, plerumque dierum itinere atque definiendis intervallis, quibus loca a locis distent, qua in re facile erat errare. Quorum rationes, quoniam ad accuratiorem terrae cognitionem parum prosunt, videntur praetermitti posse; illud tantum libet commemorare, Strabonem, quocum prope consentiunt Timosthenes apud Plinium[6]) et Agathemerus[7]) tradere, eam 3400 stadia circuitu patere, quae mensura nostra computandi ratione 85½ milliaria geographica efficit. Recentiores scriptores geographi in definienda magnitudine ejus non consentiunt; alii enim docent eam 300, alii 340, alii 400 milliaria quadrata patere. Quodsi eam cum ceteris maris interni insulis comparaveris, apparet eam maximis earum adnumerandam esse. Ac veteres quidem ex maximis insulis hujus maris eam vel tertiam[8]) vel quartam[9]) vel sextam[10]) vel decimam[11]) esse censuerunt, cujus rei documento hic est insignis locus Alexidis comici apud Eustathium in Dionys.:

Τῶν ἑπτὰ νήσων, ἃς δέδειχεν ἡ φύσις
Θνητοῖς μεγίστας, Σικελία μὲν, ὡς λόγος,
Ἐστὶν μεγίστη· δευτέρα Σαρδὼ, τρίτη
Κύρνος, τετάρτη δ' ἡ Διὸς Κρήτη τρόφος·
Εὔβοια πέμπτη στενοφυής· ἕκτη Κύπρος·
Λέσβον δὲ τάξιν ἑβδόμην λαχοῦσ' ἔχει.

Nos, si ejus amplitudinem, opportunitatem, agrorum fertilitatem, locorum amoenitatem cognoverimus, eam proximam a Sicilia locum obtinere judicabimus[12]).

Caput II.

De urbibus.

Quoniam mihi non est in animo omnia persequi, quae ad Cyprum spectant, relictis montibus, fluviis, aëre, natura et ubertate agrorum, opulentia metallorum et imprimis aeris Cyprii aliarumque rerum, quae ex terra fodiuntur, de quibus fusius disputavit Engelius, ad urbes aggrediar.

Jam quod insula minus lata erat et litora adversa sibi et contraria maximam partem non ita magnis spatiis intermissis inter se distabant, id impedimento erat, quominus urbes

---

minoremque latitudinem scuti gallici figuram habere existimat, Nonnus autem Dionys. L. XII. v. 438. sq. delphino similem esse dicit.

[6]) Cfr. Plin. Nat. Hist. L. V, c. 31.

[7]) Cfr. Agathemeri Libr. de geographia L. I. c. 5. Aledris, geographus Arabs, ejus circuitum decem et sex dierum iter patere dicit.

[8]) Cfr. Strabon. L. XIV. p. 654. et Agathemer. l. l.

[9]) Cfr. Scylacis Periplum.

[10]) Cfr. Aristotel. περὶ κόσμου c. 3.

[11]) Cfr. Cl. Ptolemaei Geogr. L. V. c. 14.

[12]) Hodie ea nominatur a Francogallis Chypre, ab Italis Cipro, ab Arabibus Cupris, a Turcis plerumque Kibris. Habitatur a sexaginta millibus hominium (Olivier et Chateaubriand), secundum Pocockium quum plurimum ab octoginta millibus, quorum plus dimidio vel e tribus duae partes christiani, reliqui Turcae sunt. Itaque haec insula, quae, si prudenter administraretur, plus decies centena millia hominum solis frugibus et fructibus, quae terra gignit, satis alere posset, admodum exiguum numerum incolarum habet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in interioribus ejus partibus conditae magnis incrementis augerentur et opulentiores evaderent. Quam ob causam plurimae urbes in omni litore ejus aedificatae et paucae tantum ampliores et opibus florentiores in interioribus locis positae erant. Quarum eae, quae opulentiores fuisse historiae fide comprobantur, exceptis Papho, Amathunte, Citio, omnes a colonis Graecis conditae sunt. Quodsi Strabonem, qui eas omnes enumerat, sequemur et, quae ab eo tradita sunt, ex ceterorum geographorum aliorumque scriptorum veterum libris complebimus, situm plurimarum urbium poterimus definire.

Ac Strabone duce in litore ad aquilonem converso ab occasu ad orientem progredientibus primum offertur Acamas[13]), quo nomine appellatur et promontorium sive paeninsula, et montis jugum sive saltus, cujus e vertice in modum metae fastigato prospectus in loca circumjacentia patet. Inde extremitas insulae, qua maxime ad occasum vergit, exadversum Selinuntem Ciliciam duobus montibus perpetuis in mare praeceps fertur. Quod promontorium Strabo refert mille stadia, sive viginti quinque milliaria geographica (Dapper: 31¼ milliaria Germanica) a Selinunte Cilicia, et mille sexcenta stadia sive quadraginta milliaria ab urbe Side, in contrario Pamphyliae litore posita, abesse. Hesychius prodidit hoc promontorium nomen invenisse ab Acamante, filio Thesei, fratre Demophoontis, quum coloniam Atheniensium huc deduxiset et ad hoc litus appulisset. Cujus promontorii adspectu nautarum appropinquantium animi ita commovebantur, ut teste Plinio totam insulam Acamantida vocarent. Ea paeninsula silvestris est; abundat enim cupresso, pinu, quercu, lentisco et, ut perhibent, feris asinis armentisque cornutis, caret autem omnino vicis.

In vicinia contra sinum illius regionis posita est parva insula, quae nunc Sancti Nicolai vocatur, unde is sinus ipse nomen cepit. Ac Pocockius ex monachis cognovit, pristinum nomen hujus insulae Stiriam fuisse, quod probabile est media aetate locum habuisse. Idem forum vel vicum, ad septentriones versus situm commemorat, cui nomen Bole erat, cujus in vicinia aeris fodinae atque aquae aeris particulas continentes esse, et Rossius vicum Baea, (ἡ Μπᾶια), apud quem parietinae mediae aetatis ferebantur esse.

Post Acamanta ante promontorium Callinusam et urbem Solos Strabo itemque Ptolemaeus ponunt Arsinoën urbem, quam ab illo quatuor milliaria geographica abesse tradunt. Strabo autem duas commemorat urbes eodem nomine vocatas, quarum altera sita fuerit inter Paphum veterem Zephyriumque promontorium et inter Paphum novam, prope quam statio et lucus fuerint, altera autem in litore ad septentriones vergente, quae lucum Jovis habuerit. Jam quum Stephanus Byzantius, s. Hermolaus in Ethnicis, Marium dicat, Cypri urbem in meridiano litore positam, postea Arsinoën, et sub v. Ἀρσινόη Arsinoën antea Marium appellatam esse, et Scylax Marium urbem Graecam dicat, (fortasse hodiernum Marin, v. Dapper); recentiores nonnulli censent tres urbes hoc nomine fuisse, unam, quae hodie vocetur Afdine s. Audimo et quae a Strabone

---

13) Ἀκάμας ἄκρα, a quo Ptolemaeus V. 14. descriptionem orditur, commemoratur a Strabone XIV, 6., Sexto Empirico adv. Mathem. L. I. c. 12: Ἀκάμας, δὲ τῆς Κύπρου ἀκρωτήριον, ab Hesychio p. 47: Ἀκάμαντιον ὄρος ἐν Κύπρῳ. Cfr. Plin. Nat. Hist. V, 31. et Lucian Navig. s. Vot. 73. Hodieque a Graecis teste Rossio p. 190. appellatur ἐς τὸν Ἀκάμαντα, a nautis Italis autem ei inditum est nomen Capo di Sant' Epifano sive plerumque Capo di Sant' Pifano.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

priore loco commemoretur, alteram, cui hodie Famagusta nomen sit, tertiam, quam supra posuimus, sitam in vicinia promontorii Callinusae, quae hodie ab incolis Arzes vel Lefcare nominetur[14]). Alii autem affirmant hanc urbem Arsinoën esse hodiernam urbem Krusiko sive Poli krusoko, secundum alios Krisophou, quam Porcachius, itinerum scriptor, veterem Acamantem ac eam quidem urbem, non promontorium esse existimat. Et quum in vicinia auri fodinae esse dicantur, Engelius nomen Poli krusoko ex graecis χρυσός et οἶκος et Krisophou ex χρυσοφόρος ortum esse suspicatur. Ipsum autem nomen urbis indicio est, eam tum demum aedificatam esse, quum haec insula a regibus Aegypti, qui Ptolemaei dicantur, in potestate ac ditione teneretur.

Callinusa promontorio, quod Ptolemaeus commemorat, praetermisso Strabo pergit Solos, ad urbem ampliorem, quae quidem jam antiquioribus temporibus sedes regni secundum Salaminem opulentissimi erat[15]). In montibus propinquis sita erat pristina urbs Aepēa, Αἴπεια, (Edita), quod ex eo colligitur, quod vicum vel oppidum ibi positum esse et etiamnunc Epe nominari incolae Pocockio narraverunt[16]). Ea teste Plutarcho[17]) a Demophoonte, Thesei filio, ad Clarium fluvium loco quidem munito, sed parum opportuno, aspero et sterili, quod ipso nomine ejus confirmari videtur, condita erat. Quae quum colonia Atheniensium esset, Solon Atheniensis Philocyprum[18]), qui tum regioni imperabat, adiit et carminibus maxime e tyrannis laudavit[19]). Aliquamdiu apud eum commoratus quum videret urbem loco iniquo ac parum idoneo aedificatam esse, auctor ei fuisse traditur sedis imperii in opportuniorem locum transferendae et urbis majoris in subjecto campo fertiliore et amoeniore condendae[20]). Jure tamen dubitatur, num Plutarchus vera narraverit, quum Herodotus, ejusmodi fabularum alioquin amantissimus, V, 113 hujus rei mentionem non fecerit et res propter similitudinem nominum ficta possit videri. Certe Strabo l. l. Solos urbem a Phalero et Acamante Atheniensibus conditam esse prodidit. Ea autem portum habebat ac templum Veneris et Isidis. Prope eam fluvius, cujus alveus nunc

---

[14]) Quae ab Hierocle et Constantino Porphyrog. inter Paphum et Solos ponitur Arsinoë, eadem urbs videtur esse.

Inter hanc urbem et Solos ponitur Callinusa promontorium, quod apud Italos appellatur Capo Alessandreta, quamquam alii existimant hoc olim Delenum (apud D'Anvillium Eleni) vocatum esse et Callinusam esse hodiernum Capo Limniti. Ab hoc promontorio usque ad Crommyon litora insulae ita curvantur, ut sinum efficiant, cui nunc nomen est Golfo di Pendaja.

[15]) A Plinio l. l. nomen scribitur Soloe, in tabula Peutingeriana Soloae, apud Zonaram et Suidam Σολία, et vallis, quae circumjacet, etiamnunc Solea vel Solia nominatur. Oppidani dicebantur Σόλιοι cfr. Herodot. V, 110., Strab. V, 14, Solonis Eleg. in Schneidewini delectu poetar. eleg. Graec. nr. 10, Diogen. Laert. in vita Solonis I, 4. pag. 33. ed. Huebner et Hipparchum, vel quicunque auctor est, in vita Arati. Altera urbs hujus nominis, in Cilicia sita, a Solone quodam Rhodio condita esse et ab eo nomen reperisse fertur. Incolae ejus Σολεῖς appellabantur, cfr. locos Diog. Laert. et Hipparchi laudatos et Callimachi epigr. 29. Hoc autem discrimen nominum non semper servatur, sed a plerisque scriptoribus ea inter se pro arbitrio permutantur.

[16]) Αἴπεια cfr. Stephan. Byz, s. h. v., Eustath. ad Iliad. 9, 151. et Etym. M. p. 37. ed. Sylburg.

[17]) Cfr. Plutarch. in vita Solonis c. 26.

[18]) Qui ab Hipparcho in Arati vita Cypranor nominatur.

[19]) Cfr. Herodot V, 113.

[20]) Cfr. Plutarch. l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

limo impletus est, in mare effunditur, qui idem Clarius, ad quem Plutarchus Aepeam aedificatam fuisse tradit, Rossio autem Xeropotamus videtur esse. In propinquis montibus metalla ferri erant.

Pocockius ex iis locis insulae, quibus Limenia urbs videtur posita fuisse, in septentriones versus profectus ad sinum maris ampliorem pervenit ibique ad extremam ejus partem inter septentriones et occasum solis, qua colles meridiani in mare procurrunt, prope vicum Aligora, i. e. forum maritimum, urbem maximam a fundamentis prorutam reperit, quam Solos esse existimat[21]). Ea ad occasum et meridiem illos colles, ad septentriones autem et orientem versus mare attingebat; ex illis enim collibus usque ad mare murus exstructus erat, cujus et septi maris receptaculi, in quo naves in ancoris consistebant, vestigia apparent. Memoratu autem dignissima, quae ex hac urbe supersunt, exstant ad radices collium, qui ad occasum spectant, ubi fragmenta muri, dimidiam formam circuli habentis, conspiciuntur; difficile tamen est dijudicare, utrum ea aedis sacrae, an veteris templi, an theatri fuerint. In loco campi paulo inferiore exstant adhuc tria retinacula, quae, decem pedes lata et octo pedes crassa, quindecim pedes inter se distant. Apparebat iis arcus fornicatos impositos fuisse; extrinsecus habebant columnas Corinthias, quarum capitula summo artificio facta erant. Pars ejus antica ad septentriones vergit et in unoquoque retinaculo interiore est aedicula, octo fere pedes alta et quatuor pedes lata. Quae aediculae sine dubio statuis recipiendis destinatae erant. Videtur enim hoc aedificium templum Veneris vel Isidis fuisse, quod in hac urbe positum erat.

Ut Rossius tradit, vici ad radices montis Olympi, qua ad septentriones spectat, siti et tota, quae circumjacet, regio vici Soleae, (*τῆς Σολέας τὰ χωρία*), etiam collectivo nomine comprehensa *ἡ Σολιαίς* nunc vocantur. Sub illis radicibus Olympi, in quibus hodie viculus St. Georgii positus est, patet vallis fluminis Xeropotami, bene culta et olivis vestita, quae latior in mare decurrit, et cujus in aditu ad sinistram ripam, quas infra commemoravimus, parietinae urbis Palaechorae sitae sunt, quas Rossius Solorum esse censet[22]).

Non procul ab hac urbe in locis mediterraneis iisque superioribus ad meridiem versus secundum Strabonem sita erat urbs Limenia, *Λιμενία*, quae a Ptolemaeo non commemoratur; ea hodie Limna nominatur.

---

[21]) Rossius autem hanc urbem in parietinis veteris urbis, quae Palaeochora appellatur, invenisse sibi visus est.

[22]) A nomine urbis Solorum derivata sunt verba *σολοικίζειν* et *σολοικισμός*, quod vocabulum Diogenes Laert. in vita Zenonis. L. VII, c. 1., §. 59. dicit significare orationem inepte sive absurde compositam, et Etymol. M.: *σολοικίζειν δὲ ἐστὶ τὸ περὶ σύνταξιν καὶ φράσιν ἁμαρτάνειν.* Incertum est autem, ab utra urbe ducta sint. Idem enim Diogenes in vita Solonis L. I, c. 2. §. 51. haec narrat: Solon, postquam a Croeso discessit, in Ciliciam profectus urbem condidit, quam ex suo nomine Solos appellavit. Paucos vero Atheniensium colonos eo deduxit, qui quum tempore interjecto a patrio sermone degenerassent, *σολοικίζειν* dicti sunt. Eadem refert Eustathius in comm. in Dionys. Perieg. et Etymol. M., in quo, etsi sub proxima voce scriptum est: *Σόλοι, ἡ ἐν Κύπρῳ πόλις*, haec Choerobosci leguntur: *Σόλοικοι, οἱ βάρβαροι· ἀπὸ Σόλωνος τῆς Κιλικίας.* Sed dubitationem de re affert Suidas, qui ait: Soli, Ciliciae urbs et Cypri, a quibus soloecismus (originem traxit,) quum sua ipsorum lingua barbare loquerentur; quocum consentit facetus auctor carminis lepidi, quod inest in Anthologia Graeca, L. II. c. 46. et Eustathius ad Iliad. 4. Ex quibus apparet, veteres scriptores non minus originem soloecismi, quam ipsam originem earum urbium confudisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Inter Solos et Lapethum situm est promontorium Cypri, quod leniter fastigatum longissime in septentriones procurrit. Id a Strabone Κρομμύου ἄκρα[23]) a Ptolemaeo Κρομμύων ἄκρα, i. e. caepae promontorium nominatur, quod nomen vel ex hoc fructu, vel, quod probabilius est, ex figura sua reperit. Quod promontorium supra demonstravimus proxime abesse a continenti terra Asiae. Rossius refert solum hujus promontorii sterile esse et tantum raras pinus procreare, seque ab agricolis illius regionis certiorem factum esse, non apparere in promontorio ipso ulla antiquae urbis vestigia, sed inter occasum et meridiem spatio dodrantis horae interjecto ab eo abesse parietinas vetustae urbis Palaeocastri, eas autem propemodum deletas et paene totas arena mobili tectas esse. Dimidiam fere horam a mari abest hodie magnus vicus isque ab hoc promontorio ad occasum versus, qui Cormacites, ὁ Κορμακίτης, nominatur et a centum fere Maronitis habitatur.

Lapithus fluvius, cujus Ptolemaeus mentionem facit, ex meridianis montibus ortus, in magnum maris sinum, ad septentriones vergentem, influit. Ad ejus ostia secundum tabulam Peutingerianam spatio triginta trium milliariorum Italicorum s. octo fere geographicorum interjecto a Crommyon promontorio aberat urbs Lapathus, s. Lapethus, s. Lapithus[24]), quam Strabo stationem navium et navalia habere refert. Quae quum antiquitus sedes regni mediocris fuisset, postquam Romani Cypro potiti sunt, caput totius partis insulae in septentriones spectantis ex quadrante facta est. Ac Strabo quidem eam a Lacedaemoniis et Praxandro conditam esse dicit. A quo dissentiunt alii. Scylax enim eam Phoenicum coloniam esse prodidit et Alexander Ephesius apud Stephanum Byzant. s. v. Λάπηθος his verbis: Βήλου δ' αὖ Κίτιόν τε καὶ ἱμερόεσσα Λάπηθος eam una cum Citio Beli urbem vocat. At sine dubio male ex his verbis collegerunt eam coloniam Phoenicum et a Belo, rege Tyri, conditam esse. Multo probabilius est poetam illum significasse, illas urbes Cyprias in ditione Phoenicum fuisse vel ante oculos ejus, quae in urbe quadam memoriae prodita essent, obversata esse. Quum igitur neque Baal deus, quem Gesenius illo loco indicari suspicatur, Lapithi divino honore cultus fuerit, neque ullam urbem in litore Cypri ad septentriones vergente a Phoenicibus, quippe qui tantum litus meridianum occupatum tenerent, conditam

---

23) Haec eadem nominis forma reperitur apud Ciceronem in Epist. ad Fam. L. XII. ep. 13., quam C. Cassius praetor ad Ciceronem dedit Cypro a Crommyu — acride ex edit Orellii. Hodie Cormachieti, s. Cormachiti a nautis Italis appellatur, quod nomen haud dubie depravatione ex graeco illo ortum est, quod in omnibus fere nominibus locorum insulae accidit, ex quo ea in ditionem Venetorum redacta est.

24) Nomen urbis vario modo exaratur, a Strabone et Hesychio Λάπαθος, a Plinio et Stephano Byzant. Lapethus, Λάπηθος, a Nonnio in Dionys. XIII, 433. numero plurali Λάπηθοι, a Scylace Λήπηθος, a Ptolemaeo Λάπιθος, quae ratio scribendi postea consuetudine trita increbuit, velut apud Michaelem in Ἀμαρτωλοῦ ἐπιστολῇ in Boissonadii anecdotis, Constantinum Porphyrog. Them. I., 15., Hieroclem Grammat., et usque ad nostram memoriam mansit; scribitur enim apud Italos Lapitho, cfr. Porcachii Itinerar. Nomen gentile erat Λαπηθεύς et Λαπήθιος, et ager subjectus a Ptolemaeo et a Diodoro Sic. L. XIX, c. 79. Λαπιθία appellatur, cujus regem Praxippum, de animo a se alieno suspectum, a Ptolemaeo Lagi f., rege Aegypti, comprehensum esse Diodorus S. auctor est. Nomen veteris urbis, quam viri docti viciniae, ut Rossius vol. IV. p. 147. refert, falso Lampusam appellant, servatum est in nomine hodierni vici majoris prope siti, qui Lapta vocatur et fontibus purissimae aquae abundat, qui campum opimum irrigant et fluvii Lapithi fontes sunt. Ager, qui circumjacet, fertilis est gossypii s. xyli, arundinis sacchari, arboris medicae, (citri aurantii, L.) citri lemonis, imprimis autem cedros longe nitidissimas profert.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse certo possit probari; Straboni adsentiendum est, qui eam a Lacedaemoniis esse conditam auctor est, id quod ipso nomine confirmatur, quod plane graecum est, probata ratione scribendi, qua usus est Strabo, quum colonia a Doribus deducta esset. Pocockius in parietinis ejus complures muros in rupibus excisos et domum integram mari appositam et fragmenta aliquot turrium et murorum offendit.

Post verba: Λακώνων κτίσμα καὶ Πραξάνδρου apud Strabonem haec leguntur: Καθ' ἣν ἦν Νάγιδος, quae verba quum neque habeant, quo referantur, neque Nagidos in Cypro, sed in contrario litore Ciliciae exstiterit, Engelius, auctoritate Casauboni permotus, recte hoc loco lacunam esse et, qua est sagacitate, nomen aliquod excidisse existimat. Desiderari enim Ceryniam, urbem claram et sedem unius ex novem regnis Cypri. Cujus nomen si ante illa verba positum fuit, Strabo commemorasse videtur, quanto spatio interjecto Cerynia a Nagide disjuncta fuerit, vel situ urbis definito adjunxisse ei in litore Ciliciae contrariam esse Nagidem. Itaque aut illud nomen, aut nomen urbis Macariae, quae et ipsa a Strabone praetermissa a Ptolemaeo post Ceroniam ponitur, addendum videtur.

Cerynia igitur[25]), ad orientem versus sita, secundum tabulam Peutinger. non amplius octo milliariis intermissis ab urbe Lapatho aberat. Ac Maritius quidem, ut Pocockius et Rossius, Nicosia urbe ad septentriones profectus duas partes fluvii Pedii, in quibus pontes lapidei facti erant, transiit et ultra campum ad radices montium, qui ab occasu ad orientem pertinent, pervenit. Omnes vias, quae eo ferunt, asperas et difficiles esse cognovit. Summum jugum montium nactus mare Cilicium et litus insulae ad septentriones vergens conspexit. Tum paulatim in vallem descendit, quae fontibus abundat. In hac valle ipso in litore eo loco, quo vetus urbs posita erat, hodie situs est vicus Cerines s. Gerines, non ita frequens. Incolae ejus agro, qui circumjacet, colendo occupantur, qui ager nunquam sine usura reddit, quod accepit, quum propter aliquot fontes ex praestantissimis insulae sit. Aratur enim ex eo triticum, hordeum, sesamum, nascitur ibi morus, ficus, sericum, xylum, siliqua (ceratonia siliqua, Linné, ἡ κερατέα, Ross p. 148.), cujus tanta copia gignitur, ut quotannis multae naves ea onerentur, quibus Alexandriam, in Italiam, Francogalliam exportatur. Hodie circa vicum

---

[25]) Vix ullum reperitur nomen urbis, quod a scriptoribus, apud quos non minus scripturae librorum inter se discrepant aut incertae sunt, tantopere mutatum sit, ut hoc. Exaratur enim a Scylace in Periplo Κερύνεια, quae nominis forma respondet hodiernae appellationi et vocis sono et videtur praeferenda esse, a Diodoro Sic. L. XIX, c. 62. et 79. Κερυνία, a Ptolemaeo Κερωνία vel Κεραυνία, a Stephano Byzant. Κορώνεια et Κυρήνια, a Nonno Dionys. XIII, 378, Κινύρεια, a Plinio Cinyria, siquidem haec eadem urbs est, a Peutingero Cerinea. Praeterea leguntur formae: Κερυννία, Κερυνηΐα, Κερόνεια, Κορόνεια, Κιννύρεια, Κυνυρία et apud Constantinum Porphyrog. Them. I, 15., Κυρήνεια. A Strabone ea praetermissa est. Postea forma, qua Ptolemaeus usus est, in morem perducta, increbuisse videtur. Incolae ejus urbis Κερυνῖται s. Κερονῖται ex forma ab initio usitata dicebantur et ager urbi appositus, qui tempore imperii Romanorum ditioni Salaminis urbis adjectus est, Ceronitis s. Coronitis vocabatur; a Diodoro Sic. autem L. XIX, c. 79. videtur nomine Κερυνίας appellari, utpote qui id nomini Λαπιθίας adjunxerit, quod et ipsum non urbem, sed regionem significat. Non minus hodierna ejus urbis nomina inter se differunt, quae haec sunt: Apud geographos Arabes Kerebnia s. Kerabnia, quod ex Graeca forma Κεραυνία ortum est, apud Italos: Sarignia, s. Cerines (Corneille Le Bruyn), Cerigni, Cerines (Dapper), Cerignes (Walpole), Tzerina (Leake), Gerines, quo hodie plerumque appellatur, apud Turcas: Gherne. Cfr. de hac re Movers Phoen. II, 2. p. 222.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in latere ad occasum verso parietinae veterum aedificiorum et pars murorum turribus rotundis munita apparent, ex quibus una inter occasum et meridiem cum parte muri ei continuata ex magnis saxis arenaceis iisque quadratis constructa a Romanis videtur excitata esse. Muri diruti dimidium milliarii circuitu patent et fundamentis veterum murorum videntur impositi esse; nam in latere ad occasum vergente magna fossa in saxis facta circumdantur et vetus urbs ad orientem versus supra hodiernum castellum, cujus paulo post mentionem faciemus, videtur pertinuisse. Ad occasum versus loco paulo remotiore duo juga montis depressa in mare procurrunt, in quibus multae reperiuntur speluncae, quae partim in lateribus saxorum praeruptis et ad perpendiculum directis excisae, partim gradibus demissis sub summa rupe et ostiis fabrili scalpro factis vel in hodiernam formam quadratam redactis, quales in insulis Aegina et Melo reperiuntur, dispositae sunt. In aliis earum insunt tria, in aliis quatuor loca, non majora octo pedibus, quorum nonnulla januis inter se juncta sunt, corporibus mortuis aptata, quae a Graecis sepulcra gentilium vocantur. Omnes autem jam dudum apertae et spoliatae sunt. Prope vicum in promontorio litoris propinqui, qua ad orientem vergit, paulo procurrente castellum factum est in rupe omni aditu clauso et inexpugnabile, quod una cum vetere urbe communitum esse patet, cujus operis ambitus quadrantem milliarii complectitur. Ad occasum castello adjacet portus exiguus, aggeribus manu et arte jactis, olim statio navibus longis commoda, nunc autem arenis obrutus, in quo non amplius duae aut tres naviculae in ancoris stare possunt. Ad hunc portum ii naves appellunt, qui intra octonos dies bis terve inter hunc locum et Ciliciam, quae teste Rossio hodie Itscheli appellatur, commeant, quo brevissimus est trajectus septem vel octo horarum. Litus autem periculosum nautisque infestum est, ut nisi mensibus aestivis naves ad terram applicare non audeant. Ex hoc litore contraria Ciliciae regio conspicitur et noctu ignes plane cernuntur, quos faciunt, ut lenunculos ad homines transportandos arcessant. Ex perpetuis jugis montium, qui quingentos fere passus ab urbe absunt, fontes oriuntur, qui purissimas ac frigidas aquas in totam regionem effundunt. Quam ob rem ea aestate minus aquae inopia afficitur, quam meridiana insulae pars; aër autem purior coelumque salubrius est, quam in alia ulla ejus parte. Ac Walpolius quidem tradit coelum jucundissimum et agrum illum, aquarum copia abundantem, fertilissimum esse, qua regione neque amoeniorem ullam, neque magis cultam in Turcia se vidisse affirmat. Ex ingenti copia xylini, quod ager propinquus gignit, monachi coenobii, quod ibi positum est, magnas pecunias faciunt. Veterem urbem Scylax refert a Phoenicibus conditam fuisse, qua de re cum Engelio videtur dubitandum esse, cujus conjectura, apud Strabonem post verba: Λαπαθός τε ἐστὶ πόλις, excidisse nomen urbis Ceryniae, si probatur, potius a Lacedaemoniis et Praxandro ea condita est. Quo tempore Asia penes reges Persarum erat, regi domestico parebat, qui apud Diodorum Sic. XIX, 59. βασιλεὺς Κερυνίτης dicitur et certum agrum tenebat, cui secundum Porphyrum de abstin. II, 54, Ceronites s. Coronites nomen erat. Postquam Cyprus sub potestatem Romanorum redacta est, opes hujus civitatis imminutae senescere coeperunt, medio autem aevo rursus creverunt.

Post Ceryniam Ptolemaeus duobus tribusve milliariis intermissis ad orientem versus ponit urbem Macariam, (Fortunatam) quod nomen Pliniis in iis commemoravit, quae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

universae insulae imponi solerent. Et ex parietinis quidem, quae ibi inventae sunt, colligere conati sunt, quo loco ea urbs sita fuerit. Quum autem a Strabone omissum sit ejus nomen, neque alius quisquam ex veteribus scriptoribus ejus mentionem fecerit, videtur potius, nisi apud illum una cum nomine Ceryniae excidisse putatur, nomen insulae pro urbe positum esse.

Deinde et Strabo et Ptolemaeus afferunt Aphrodisium, quod Pocockius novem fere milliaria a finibus Salaminiorum abesse dicit[26]). Quo loco autem positum fuerit, hodie, quum ab illis nihil amplius proditum sit, certo definiri nequit. Videtur situm fuisse in ea parte litoris in septentriones spectantis, qua insula in lingulam vel paeninsulam tam angustam cogitur, ut universum aestimanti duo milliaria cum dimidio patere videatur, hoc autem loco Strabone teste trajectus in proximam urbem Salaminem, in contrario litore positam, brevissimus non amplius septuaginta stadiorum sive unius milliarii et dodrantis sit.

Haud procul aberat Achaeorum litus, Ἀχαιῶν ἀκτή, ad quod Strabo refert Teucrum, a Telamone patre ejectum primo naves appulisse et angustam insulae regionem transgressum in contrario litore ad orientem vergente ad ostia Pedii fluvii Salaminem Cypriam condidisse. Unde pars hujus lingulae in longum porrectae, quae in septentriones spectat, hoc nomen cepisse creditur. Neque tamen sunt ea loca demissa, sed montuosa. Quod hodie ibi exstat, monasterium Yalousee s. Jalusa, in hoc Achaeorum litore aedificatum esse Pocockius existimat.

Proxime ab extrema insula inter septentriones et orientem spectante aberat Carpasia[27]). Ac Hellanicus quidem teste Stephano Byzant. in libro, quem inscripserat Κυπριακά, retulit eam a Pygmalione conditam fuisse et Scylax eam simpliciter neque causa, neque auctoribus allatis urbem Phoenicum esse dicit. Quum autem nomen urbis plane graecum sit, quum neque ab ullo scriptore alio relatum legamus eam a Phoenicibus constitutam esse, neque conjectura ex historia Phoenices capta id factum esse probabile reddatur: illi scriptores, quorum hic fortasse illum secutus est, Engelio videntur hanc memoriam ex nullo alio fonte, nisi ex opinione quadam fabulosa per urbem vulgata hausisse, qua Carpasia a Pygmalione, heroe illo et rege hujus agri fabuloso, condita esse perhiberetur. A Dionysio ea dicitur αἰπεινή, quippe quae in promontorio editiore in mare excurrente sita fuerit, eamque munitam fuisse ex eo intelligitur, quod Demetrius Poliorcetes, qui, ut Salaminem trans montes positam oppugnaret, classem cum exercitu ad hoc litus appulerat, ut Diodorus Sic. L. XX, c. 47. narrat, eam, nisi vi, capere non poterat. Strabo eam contra Sarpedonem, promontorium Ciliciae, positam esse, qua in re leviter erravit, et portum habere prodidit, neque tamen

---

[26]) Apud Stephanum Byzant. nomen est Aphrodisias. Ex hac urbe propinquum promontorium ejus litoris ab Italis appellatur Punta Aphrodisio et alio nomine Punta del Casale Acathu, i. e. promontorium vici Acathu.

[27]) Commemoratur Καρπασία a Strabone, Diodoro Sic., Ptolemaeo, Stephano Byzant. et Plinio, a quo nomen Carpasium exaratur, itemque ab Hierocle Καρπάσιον, a Constantino Porphyrog. Κάρπασος, a Xenagora Κάρπαθος, a Demetrio, e Salamine Cypria oriundo, Καρβασία, quod opposita erat vento, qui a Cypriis Κάρβας appellabatur. In versu e Dionysii Bessaricorum L. III. a Stephano Byz. allato producta syllaba paenultima et litera ρ propter metrum transposita scribitur Κραπάσεια et similiter a Scylace Καρπάσεια. Nomen gentile erat Καρπασεώτης, a Theopompo autem incolae Καρπασεῖς vocantur. Adjectivum ex eo factum erat καρπασεωτικός et καρπασιωτικός. Pocockius hodiernam urbem Carpass nominat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

amplior ea videtur fuisse, quum in tabula Peutingeriana ne via quidem munita, quae tempore Romanorum eo ferret, denotata sit. Insula eo loco admodum angusta est; Strabo enim adjungit, ab urbe Carpasia isthmi trajectum ad insulas Carpasias et mare meridianum esse tantum triginta stadiorum, sive dodrantem fere milliarii geographici. Quo loco Carpasia sita erat, Pocockius reperit parietinas et imprimis fragmenta muri, cujus ambitus dimidium fere milliarii complectitur. Fundamenta ejus in mari jacta sunt et in eo extremo apparent vestigia turris, quae nihil aliud videntur fuisse, quam castellum, ad portum tegendum exstructum.

Pocockius inde ad orientem profectus ad vicum Aphronisy pervenit, ubi parietinas quatuor aedium sacrarum offendit. Quo loco visa est ei olim urbs posita fuisse; reperit enim in duabus ejus partibus fragmenta muri, qui usque ad mare pertinebat.

Deinceps apud Strabonem haec leguntur: Εἶτ' ἄκρα καὶ ὄρος, nomine non addito. Non procul enim inde aberat promontorium insulae, in septentriones et orientem longissime excurrens, quod αἱ Κλεῖδες appellari solet. Verius quidem hoc nomen, quod claves significat, aliquot insulis et scopulis, proxime litori adjacentibus imponitur, sed ab iis etiam ad hoc promontorium insulae translatum est, velut a Ptolemaeo, qui scribit: κλεῖδες ἄκρα, et ab Herodoto, qui L. V. c. 108. haec narrat: Ἴωνές τε δὴ παρῆσαν ἐς τὴν Κύπρον, καὶ οἱ Πέρσαι νηυσὶ διαβάντες ἐκ τῆς Κιλικίης ἤϊσαν ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα πεζῇ· τῆσι δὲ νηυσὶ οἱ Φοίνικες περιέπλωον τὴν ἄκρην, αἳ καλεῦνται Κληῖδες τῆς Κύπρου, quod confirmari videtur ab Hesychio, apud quem haec leguntur: Κλεῖδες, ἀκρατεῖς Κύπρου, qui quidem locus corruptus haud dubie ita emendandus est, ut scribatur: Κλεῖδες, ἄκρα τῆς Κύπρου[28]). Apud Ptolemaeum vero in editione principe Erasmi Roterod, Basil. 1533 et Bertii, Amstelod. 1618 nominatur hoc promontorium οὐρὰ βοός[29]) et ex codice Palatino additur: Κλεῖδες ἄκρα. Ceterae editiones, quas inspicere mihi non licuit, et libri manu scripti tantum Κλεῖδες exhibere dicuntur. Et videtur illud nomen aliquanto post et tantummodo inter incolas insulae usitatum ac tritum fuisse.

In parte ejus extrema, inter septentriones et orientem solem spectante, exstat spelunca in saxis excisa, quae sepulcrum videtur fuisse. In circuitu apparent vestigia magni loci septi et hinc paulo longius variae formae aedificiorum, figura oblonga eaque quadrangula ex lapidibus quadratis exstructorum, quae paulum tantum ex terra eminent et in superiore parte tecta videntur fuisse. Ea Pocockius antiquissima sepulcra esse existimat. Uno ex iis, quod multo magnificentius ceteris ornatum erat, permotus suspicatur ea sepulcra antiquorum hujus partis Cypri regum fuisse. Locus tribus muris circumdatus erat qui tantummodo duobus ordinibus lapidum ex terra editis constabant. Erat id singulare opus, quale nusquam alibi viderat.

E regione hujus promontorii in litore Syriae Pocockius montem Cassium prope Alexandriam situm et montem Rhossium s. Rhosium, inter urbes Kepse et Scanderun

---

[28]) Plinius hoc promontorium nominat Dinaretum, quod nomen ceteri scriptores ignorant. Hodie id, vel secundum Pocockium οὐρὰ βοός, ex monasterio propinquo, in saxis excisis aedificato, Capo St. Andreas, cui dedicatum est, appellatur.

[29]) Haud dubie propter similitudinem, quam ei cum cauda bovis esse opinabantur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Alexandrette) positum, conspexit. Omnis regio ab urbe Carpasia ad orientem versa propter crebras direptiones piratarum Melitensium paene deserta est. Per totam eam insulae partem angustam ab occidente ad orientem versus pertinet jugum montium, quod in extrema parte altius attollitur, quare non inepte ea cum cauda bovis comparatur. Quorum montium summa pars secundum Strabonem appellabatur Olympus, qui non est confundendus cum Olympo, monte majore, in media insula sito[30]). Illum habere templum Veneris Montanae, Ἀφροδίτης Ἀκραίας, idque adire et videre feminis nefas esse Strabo memoriae prodidit. Existimatur igitur consecratum fuisse Veneri castae, quae eadem Urania dicebatur ex urbe his locis sita, cujus Diodorus Sic. L. XX, c. 47. una cum Carpasia mentionem fecit.

Prope hoc promontorium inter septentriones et orientem sitae sunt insulae, quae a veteribus scriptoribus Κλεῖδες, Claves, appellantur, et quarum maxima minus milliario geogr. circuitu patet[31]). Et scriptores quidem de numero earum inter se discrepant. Ii, qui duas tantum esse referunt, de duabus earum maximis videntur compertum habuisse. Ceterae duae saxis similiores sunt, quarum extrema vix mille passus ab insula abest; altera, in qua gramina rara nascuntur et quae latitudine computata videtur secunda esse, tam prope abest a litore insulae, ut fortasse post eam demum aetatem, qua illi scriptores vivebant, ab eo avulsa sit.

Post has Strabo commemorat insulas Carpasias: Εἶθ' αἱ Καρπασίαι νῆσοι. Quas quum inter Clides insulas et Salaminem urbem ponat, videtur existimasse eas litori insulae ad orientem verso adjacere. Qui si vera narravit, hoc nomine sine dubio propterea appellabantur, quod e regione urbis Carpasiae in contrario litore positae erant. Quot eae fuerint, a scriptoribus non refertur; videntur autem exiguae fuisse. At quum e recentoribus, qui insulam obierunt et descripserunt, nemo mentionem fecerit prope litus insulae e regione Carpasiae positas esse insulas e Clidibus in meridiem spectantes, et quum mirari liceat, quod illae insulae Carpasiae vocatae sint; jure dubitatur, num Strabo vera prodiderit. Contra tres insulae e promontorio, in quo Carpasia sita erat, in septentriones versus positae esse dicuntur, quae circum sinum exiguum circumjacentes portum, quem Carpasiam habere Strabo dicit, claudunt et a tempestatibus tegunt.

Sed jam vela navis, qua litora Cypri legimus, contrahenda sunt. Angusti enim termini huic scriptioni constituti me impediunt, quominus rem propositam ad finem adducam. Itaque, quae reliqua sunt de urbibus Cypri, data occasione persequar.

---

[30]) Copiosius describitur a Claudiano in carmine de nuptiis Honorii et Mariae, v. 49. sq.

[31]) Strabo docet: Πρόκειται δὲ πλησίον αἱ Κλεῖδες καὶ ἄλλαι δὲ πλείους· et Plinius: Et quatuor (insulae) ante promontorium (Dinaretum) ex adverso Syriae, Clides.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf